

III. — Quibus rationibus Sancta Sedes inducta sit ut non admitteret vota solemnia monialium, dubium est. Non dicemus Sacram Congregationem ignoravisse statum rerum; media certe ipsi non defuere accuratiorem, si opus fuerit, notitiam conventuum nostrarum monialium adipiscendi; nec suum decretum edidisset verbis absolutis, quæ omnia vota a monialibus emissa complectuntur, si rationem solummodo habuisset factorum quæ nonnulli Antistites in dubiis propositis enarraverant. Nec etiam motivum declarationis Sanctæ Sedis repetemus ex neglectis regulis jure præfixis ad erectionem conventuum, de quibus in articulo subsequenti. Fatendum quidem multas erectiones seu foundationes conventuum monialium, et etiam aliquorum religiosorum, factas non esse, post instauratum cultum publicum a tempore concordati, juxta canonicas sanctiones: at vero S. Sedes facillime potuisset huic defectui mederi quoad præteritas foundationes ope litterarum sanatoriarum, et prospicere, quoad futuras erectiones conventuum, ut regulæ accuratius ad praxim adducerentur. Probabilius nobis videtur Sanctam Sedem opportunum hactenus non duxisse assentiri solemnitati votorum monialium, ob varias gravesque difficultates quibus hanc conditionem vitæ religiosæ obnoxiam efficiunt in statu præsentium rerum, indissolubilitas vinculi religionis, strictior clausura super qua nullus dispensare valeat nisi S. Pontifex, et legislatio civilis circa honorum proprietatem et dispositiones. Quamvis enim Sancta Sedes valeat consulere, ope Indultorum, conventibus monialium ad removendum utcumque difficultates, negari tamen non potest multa exinde procreari impedimenta ex quibus superiores locales non facile expedirent communitates.

Carentia votorum solemnium non obstat quominus moniales habeant substantiam status religiosi, quod colligitur ex supra dictis. Toleratæ olim dicebantur congregationes mulierum cum votis simplicibus, non approbatæ, ob constitutionem Pii V, de qua supra (nº 436); nunc vero, sublata omni difficultate, approbantur multisque donantur privilegiis.

ARTICULUS III. — DE APPROBATIONE ORDINUM RELIGIOSORUM, AC DE CONSTITUTIONE PROVINCiarUM, CONVENTUUM, ET DOMORUM EORUMDEM ORDINUM.

447. — Iº *Quid jure canonico præscriptum sit de approbatione ordinum regularium?*

I. Concilium Lateranense sub Innocentio III habitum, an. 1215, edixit: « Ne nimia religionum diversitas gravem in Ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus ne quis de cætero novam religionem inveniat; sed qui cumque ad religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat. » Cap. IX, DE RELIGIOSIS DOMIBUS. Nedum hoc decretum obstiterit formationi ordinum, multo plures a tempore concilii Lateranensis prodierunt novæ congregationes quam sæculis præcedentibus; quamobrem anno 1274 concilium Lugdunense legem innovavit: « ... quia non solum impertuna petentium inhiatio religionum postmodum multiplicationem extorsit, verum aliquorum etiam præsumptuosa temeritas diversorum ordinum præsertim Mendicantium, effrenatam quasi multitudinem adinvenit; repetita constitutione districtius inhibentes ne aliquis de cætero novum ordinem aut religionem adinveniat, vel habitum novæ religionis assumat; cunctas affatim religiones et ordines Mendicantes post concilium (Lateranense) adinventos, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni subjicimus. » Cap. *Religionum*, DE RELIGIOSIS DOMIBUS, in VIº

Ex prolatis decretis duo sequuntur maximi momenti: 1º Approbationem esse omnino necessariam ordinibus religiosis; 2º approbationem Sanctæ Sedi reservari, dempta Episcopis facultate instituendi vel approbandi novas religiones.

Ea est necessitas approbationis ut, si deficiat, non sit ordo re-

ligiosus; lex enim est simul prohibens et irritans. Institutum non induit naturam religionis, seu ordinis, nisi quatenus media perfectionis præbet votentibus, et nisi aliunde, ratione habita hodiernæ disciplinæ, vota acceptet superior nomine Dei et Ecclesiæ: porro, quomodo ad perfectionem adducat ordo religiosus quem Ecclesia improbat; quis vota emissa acceptet nomine Ecclesiæ, si Ecclesia prohibuerit ne vota emitantur?... Igitur irrita est professio facta in istius modi ordinibus; irrita pariter sunt vota obedientiæ, paupertatis, imo et castitatis, si non aliter facta sint quam relative ad eundem ordinem.

Conclusio complectitur non solum religiones quæ vota solemnia habere præsumunt; sed insuper ordines seu congregationes cum votis simplicibus¹. Lex canonica universim prohibet, ne quis novum ordinem aut religionem adinveniat sine confirmatione Ecclesiæ Romanæ: porro, omnis congregatio instituta sub certa regula et habitu, cum votis simplicibus, est sin religio, saltem ordo religiosus, qui juxta doctores latius patet quam religio. Aliunde lex lata est ut vitetur confusio quam inducunt diversitas et multiplicatio novorum ordinum, qui singuli suas regulas, suumque habitum habent, quæ ratio æque urget, sive religiones solennes, sive ordines cum votis simplicibus, formentur non assentiente Ecclesia...

Adjecimus approbationem ordinum religiosorum reservari Sanctæ Sedi. Jure quidem divino Episcopus, quatenus doctor et pontifex, posset approbare ordinem religiosum pro sua diœcesi, judicare de honestate regulæ, et concedere suis diœcesanis ut in communi vivant sub eadem regula; sed leges canonice approbationem retulerunt ad S. Pontificem. Insuper approbatio data ab Episcopo restringeretur ad diœcesim; et multum expedit bono ordinum religiosorum, ut per provincias dilatari ac propagari possint, servata unitate sub unius Prælati regimine,

¹ Cf. Suarez, lib. II, cap. xvi;— Pirhing, lib. III, tit. xxxvi, n° 33; — Schmalzgrueber, eod. tit., n° 48.

quod certo ac stabiliter obtinere non valent nisi auctoritate Summi Pontificis.

II. — Lex in conciliis Lateranensi ac Lugdunensi lata, non attingit Congregationes religiosas improprie dictas, seu virorum seu mulierum quæ habitum sæcularem gestant et nulla vota admittunt, etiamsi habeant vitam communem cum statutis, sub obedientia superioris. Idem a fortiori dicemus de societatibus clericorum qui gestant habitum similem vestitui aliorum sacerdotum sæcularium, nec vota emittunt.

Leges enim canonice, quantumvis favorabiles religioni videantur, non debent ampliari ultra sensum obvium verborum, in iis præsertim quibus restringitur libertas, et induceretur nullitas actuum et pactorum quæ ad institutum referuntur. Atqui sanctiones canonice de quibus agimus, si sensu naturali verborum et consueta interpretatione temporis quo editæ sunt, sumantur, afficiunt solummodo congregationes religiosas quæ vota saltem simplicia cum habitu religionis habent. Quamvis enim in Decreto Concilii vox *Ordo* forte latius pateat quam vox *Religio*, ut notatum diximus a canonistis, nunquam tamen usu consueto loquendi, vox illa tunc temporis, non secus ac sæculis subsequentibus adhibita fuit ad aliud designandum quam Institutum religiosum votis, saltem simplicibus, firmatum, et habitu a societatibus sæcularibus distinctum, sine quibus ne excogitabatur quidem constitui posse ordinem religiosum... Nec dicatur finem intentum a conciliis postulare ut omnia sine ulla exceptione instituta quæ formantur devotionis causa, eidem legi approbationis submittantur; præter quod enim sola ratio finis non sufficit ut lex extendatur ultra sensum naturalem verborum, certum est finem præcipuum, qui fuit vitare nimiam religionum diversitatem, et multiplicatam habituum novarum religionum, unde nasci poterat confusio in Ecclesia, sufficienter obtineri, cum nulla congregatio religiosa proprie dicta, cum votis et habitu distincto, institui possit absque prævia approbatione Sanctæ Sedis.

448. — II^o *Utrum et quatenus necessitas approbationis temperata fuerit a tempore concilii Lugdunensis?*

I. Disciplina a concilio Lugdunensi sancita in suo rigore ad nostram ætatem permansit quoad omnes ordines religiosos, qui habent vota solemnia; adeo ut nusquam admissa sit sollemnis professio vitæ regularis, absque prævia approbatione Sedis Apostolicæ.

II. A tempore concilii Lugdunensis, ac præsertim a tempore concilii Tridentini, plurimæ Congregationes institutæ sunt cum votis simplicibus, sine prævia approbatione Sedis Apostolicæ. Id vetitum fuisse pro conventibus mulierum a S. Pio V vidimus supra (n^o 436). Idem Pontifex alteram constitutionem, scilicet Bullam *Lubricum vitæ genus*, anno 1568, edidit pro conventibus virorum, qua edicebat, sub pœnis gravissimis, ut omnes conventuales quarumcumque Congregationum, sub obedientia viventes extra votum sollemne religionis, cum habitu distincto a sacerdotibus sæcularibus, professionem regularem solemniter emitterent, sub una regula ex approbatis; si vellent in domo, conventu, seu congregatione commorari; quod si vero, jam excurso anni spatio in ipsa Congregatione, refugissent hoc modo profiteri, illos e conventu ejici jubebat Pius V, ut ad vitam sæcularem transire cogerentur. Porro hæc disciplina, quam Sanctus Pontifex urgendam statuerat ut provideretur stabilitati ordinum religiosorum, utque vitarentur *periculosæ offensiones in populos, dum quos disciplinæ regulari perpetuo mancipatos credunt, rursus eos, relicto hoc vitæ instituto, liberos vident ac solutos in sæculum evagari*, non diu viguit in praxi; nam plurimæ enatæ sunt Congregationes, sub regimine Episcoporum, tolerantibus SS. Pontificibus, quæ non habebant vota solemnia; et hujusmodi instituta Sancta Sedes approbavit, quia adjecto voto perseverantiæ a quo religiosi solvi non possunt, nisi a superiore ordinis vel a S. Pontifice, sufficienter cautum fuit stabilitati vitæ regularis, quod præcipue intenderat S. Pius V.

III. Est igitur temperamentum, longa consuetudine inductum, quod hujusmodi Congregationes tentari et inchoari possint, cum suis statutis ac votis simplicibus, sub auctoritate Episcoporum. Quin etiam expedire judicatum est ut per certum tempus hæc instituta expertam habuerint convenientiam suorum statutorum, donec summus Pontifex illa approbet. Exemplum memoria dignissimum hujus tolerantiae, imo et assensus taciti, retulimus quoad conventus Tertiariarum. Nemo aliunde ignorat quot, a centum circiter annis, formatae sint Congregationes in Galliis, sub regimine Episcoporum, quas Sancta Sedes eximiis laudibus honestavit, gratiisque spiritualibus benigno favore ditavit, nedum improbaverit. Die 22 junii, an. 1860, ut unum ex recentioribus exemplum afferamus, datum est decretum a S. Congregatione Regularium, in quo exponitur constitutam fuisse jam ab anno 1844 specialem Congregationem sororum quæ a *Beata Virgine Maria et S. Josepho* nuncupantur, in gratiam mulierum carceribus detentarum; easque sorores emittere vota simplicia ad annum in primo quinquennio, et deinceps perpetua, quibus votum stabilitatis addunt, sub directione moderatricis generalis: hæc autem postea adjiciuntur: « SS. D. N. Pius Papa nonus, preces « oratrici (moderatricis generalis) benigne excipiens, attentis « litteris commendatitiis Episcoporum, memoratum institutum, « uti Congregationem votorum simplicium, sub regimine moderatricis generalis, et jurisdictione Episcoporum, ad præscriptum sanctorum canonum, amplissimis verbis laudavit, et « commendavit... » Sequitur concessio indulgentiæ lucranda die professionis, etc. Hæc est forma consueta Brevium quibus *laudatur* institutum, antequam ulterius deveniatur ad illius approbationem apostolicam qua definitive constituitur. Sancta Sedes non ita laudaret institutum quod in eodem Brevis dicitur multis jam ab annis inceptum cum votis simplicibus, et in plurimas Galliarum dioceses diffusum ante quam devenerit ad notitiam Ecclesiæ Romanæ, si nefas esset inchoare con-

gregationem religiosam, cum statutis et votis, donec præceserit approbatio Romani Pontificis.

Sancta Sedes eodem modo egit erga Congregationes virorum quo usa est erga Congregationes mulierum; nam plures Congregationes clericorum nostra ætate institutæ sunt cum votis simplicibus, nec hujusmodi inchoationes Ecclesia Romana improbavit, imo eas gratas habere testificata est Brevibus apostolicis. Sic Gregorius XVI in Bulla qua Congregationem clericorum *Societatis Mariæ* approbavit, dixit: « Non mediocri « certe voluptate affecti fuimus, ubi accepimus dilectum filium « Claudium Colin, et aliquos presbyteros, multis abhinc annis, « novæ religiosorum hominum societatis fundamenta posuisse « titulo *Societatis Mariæ*. » (Bulla *Omnium gentium*, an. 1856.)

Hinc jure concludendum temperatam fuisse diuturna consuetudine, et tacito assensu Sanctæ Sedis, disciplinam decretis conciliorum Lateranensis et Lugdunensis, nec non Bullis S. Pii V et aliorum Pontificum institutam; licitum nempe esse inchoare Congregationes religiosas cum licentia Episcoporum, non obtemperata prævia approbatione Sanctæ Sedis, valere statuta congregationum sub regimine episcoporum, valere insimul vota quæ in iisdem Congregationibus emittuntur, donec opportunum videatur, post sufficiens experimentum regularum, recurrere ad auctoritatem S. Pontificis quo constabiliatur novum institutum.

449. — III^o *Utrum et quatenus prælati regulares obtinere debeant beneplacitum apostolicum, et licentiam Ordinarii, ut valeant erigere conventus et domos?*

Ordines religiosi sunt in potestate S. Pontificis qui prospicere debet, pro sua sollicitudine in Ecclesiam universalem et in commoda uniuscujusque ordinis, conventuum foundationibus, et definitionibus provinciarum ordinum religiosorum. Sunt insuper obnoxii auctoritati Episcoporum in quorum dioceses propagari exoptant; est quippe Ordinariorum loci examinare

an conventuum foundationes expetitæ, utilitati suæ diocesis inserviant.

I. « Communis hodie et in tribunalibus recepta opinio est, « ait Benedictus XIV, non licere regularibus, tam intra quam « extra Italiam, nova monasteria sive collegia fundare sola « Episcopi localis auctoritate, sed Apostolicæ Sedis licentiam « præterea necessariam esse. » (*De Synodo*, lib. IX, cap. 1, n^o 9.) Ad illam sententiam quam non admiserant olim celebriores juris interpretes¹, adducti sunt canonistæ decretis concilii Lugdunensis et Bonifacii VIII, ac præsertim praxi quæ a multo jam tempore prævaluit. Concilium Lugdunense prohibuit Mendicantibus « ne de novo domum vel locum acquirant sine Sedis Apostolicæ licentia speciali; » quam legem rursus confirmavit Bonifacius VIII ob frequentes querimonias ad suam Sedem delatas. « Nos, inquit, super hoc providere « volentes, hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis, vel aliqui de prædictis (Prædicantibus, Minoribus, et « religiosis aliis Mendicantibus), quibuscumque super hoc privilegiis muniti existant, in aliqua civitate, castro, villa seu « loco quocumque, domos ad habitandum, vel loca quæcumque « de novo recipere, seu hactenus recepta mutare... absque « Apostolicæ Sedis licentia speciali plenam et expressam mentionem faciente prohibitionis hujusmodi; si secus egerint, irritum decernentes. » Cap. *Religionum* DE RELIGIOSIS DOMIBUS; cap. *Cum ex eo*, DE EXCESSIBUS PRELATORUM, in VI^o. Hæc decreta, quibus de solis ordinibus Mendicantibus Pontifices statuerant, extensa deinceps fuerunt, praxi et jurisprudentia Curiae Romanæ, ad alios ordines, congregationes et societates cujusvis alterius instituti vota solemnia habentis.

Quod ad Congregationes votorum simplicium attinet, non videtur necessarium esse beneplacitum apostolicum ad erectionem novarum domorum, nisi hanc conditionem mandato speciali

¹ Cf. Fagnan, in cap. *Non amplius*, n^o 55-727 DE INSTITUTIONIBUS, lib. III Decret.

requirat Sancta Sedes, siquidem de hujusmodi domibus nihil jura statuerunt. — Idem dicendum videtur de conventibus monialium, de quibus non agitur in decretis allatis.

Beneplicitum Apostolicum requiritur etiam in fundatione novi conventus ejusdem ordinis in civitate jam admissi; quandoquidem ratio legis est ne præjudicium afferatur conventibus antea erectis, ac simul ut præcaveantur rixæ quæ ex æmulatione inter vicinos conventus quandoque enascuntur; hæc autem motiva urgent, sive ejusdem instituti sive alterius novi conventus erigantur. Si de ordinibus Mendicantibus agitur, res est manifesta; novi conventus damnum præexistentibus inferunt diminuendo eorum patrimonium, quod unice consistit in eleemosynis fidelium ¹.

S. Sedes non consuevit dare regularibus licentiam erigendi novos conventus, saltem cum privilegiis ordinariis exemptionis a jurisdictione Episcoporum, nisi sint ad minus duodecim numero religiosi; quia periculum est ne observantiæ regulari male consulatur quando minor est numerus. Hanc ordinationem, plurium pontificum decretis constitutam, de novo præscripsit Innocentius XII, in Bulla *Nuper* an. 1697: « deinceps monasterium, « conventus, domus, congregatio vel societas religiosorum, seu « regularium, nullibi recipiatur, nisi, præter alia ad id requisita, in singulis hujusmodi locis duodecim saltem fratres aut « monachi seu religiosi degere, et ex redditibus et consuetis « eleemosynis, detractis omnibus detrahendis, competenter « sustentari valeant, ad præscriptum Decreti Gregorii XV hac de « re editi; alioquin monasteria, et loca hujusmodi post hæc recipienda, in quibus duodecim religiosi, ut supra, sustentari « atque inhabitare non poterunt et actu non inhabitaverint, « Ordinarii loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ jurisdictioni subjecta esse intelligantur. »

450. — II. Præter beneplicitum S. Sedis, requiritur licentia

¹ Pignatelli, tom. I *Consultationum*, Consult. 479. — Matthæucci, *Officialis curiæ ecclesiasticæ*, cap. xvi, n° 5.

Episcopi juxta sanctionem concilii Tridentini: « In monasteriis « et domibus tam virorum quam mulierum, bona immobilia « possidentibus vel non possidentibus, is tantum numerus « constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis, « commode possit sustentari; nec de cætero similia loca erigantur sive Episcopi, in cujus diocesi erigenda sunt, licentia prius « obtenta. » Sess. xxv, cap. III.

Conditionem a concilio Tridentino impositam confirmavit Urbanus VIII, Const. *Romanus Pontifex* an. 1624, qua interdixit, sub pœna privationis vocis activæ et passivæ, necnon officiorum ac inhabilitatis ad illa in futurum obtinenda, et etiam excommunicationis, superioribus ordinum, etiam Mendicantium, congregationum, societatum, aliorumque institutorum quovis nomine appellentur, quibusve privilegiis donata fuerint, « recipere, erigere, fundare, seu alias quomodo libet instituere nova monasteria, collegia, domus, conventus, et alia loca regularia hujusmodi, nisi de expressa « licentia Ordinariorum et servata in omnibus sanctorum canonum forma ¹. »

Conventus Regularium habere possunt Ecclesiam, ubi, pro ratione sui instituti, januis apertis celebrentur missæ et fiant conciones; si autem velint extruere novam Ecclesiam a sua domo sejunctam, necesse omnino est ut ad Ordinarium loci recurrant; agitur quippe de re non levis momenti, quæ aliorum conventuum et parochiarum interest. A sæculo XIII Innocentius IV idem præcaverat, vetando ne regulares, etiam exempti, oratoria vel capellas in locis non exemptis construere præsumerent sine Ordinariorum locorum licentia. Cap. *Auctoritate*, 4, DE PRIVILEGIIS, in VI°.

Potestas Episcopo attributa non est arbitraria, adeo ut pro libitu valeat concedere aut denegare licentiam quam ab eo

¹ Cf. Ferraris, v° *Conventus*, art. 1, n° 4.

expetit prælatus regularis ad fundationem conventus peragendam. Prospicere utique tenetur ne novus conventus præjudicium afferat, seu institutis religiosis præexistentibus, seu ipsis parochiis, et simul non debet obstare fundationi in detrimentum ordinis, si nulla rationabilis causa intercedat. Ut præjudicium præcaveat, præscriptum est constitutionibus pontificiis, præsertim Clementis VIII *Quoniam* an. 1605 et Gregorii XV *Cum alias*, an. 1622, licentiam non concedendam fore, nisi postquam aliorum conventuum in iisdem urbibus vel in vicinis locis existentium priores, seu procuratores, et alii *interesse habentes* « vocati et auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint; *vel alias Ordinariis locorum constiterit, religiosos « monasterii... sic erigendi absque detrimento religiosorum « in monasteriis, seu domibus antea erectis degentium... « commode et congrue manuteneri et ali posse.* »

451. — Nonnulla proposita sunt apud canonistas dubia de sensu prædictarum Constitutionum. 1° Quinam sint citandi et audiendi; 2° quis ordo servandus in hoc negotio; 3° an Episcopus teneatur semper citare et audire partes, antequam licentiam concedat novas domus erigendi; 4° quid, si partes interesse habentes appellaverint ad S. Sedem.

I. — Ad I^{um}: *Interesse habentes* in re præsentis, sunt Superiores conventuum Mendicantium, existentium in eadem civitate et circumvicinis locis suburbanis, et probabiliter parochi Ecclesiarum intra quarum fines erigenda est domus religiosa.

De superioribus conventuum Mendicantium habetur mentio expressa.

De parochis non ita constat; illos tamen decretis allatis comprehendere tenent communiter canonistæ. « Controvertunt aliqui, ait Reiffenstuel, an inter citandos et audiendos, etiam sint parochi locorum. Passarinus siquidem... et alii putant eos nec citandos nec audiendos esse. Verum contraria opinio, videlicet quod et parochi, ante consensum, audiendi sint, probabilior et juri conformior esse videtur, prout sæpe de-

« cidit Rota, teste ipso Passarino...; idque probatur ex Bulla « Clementis VIII ubi expresse prohibetur ne Episcopus consensum præbeat, nisi prius vocatis et auditis religiosis existentibus in loco, et, n. b., aliis *interesse habentibus*; atqui parochi in hujusmodi causa interesse habent, cum contingere posset quod ex nova monasteriorum constructione eorum obligationes, aliave jura parochialia ita diminuerentur ut congruam sustentationem non amplius haberent¹. » Re quidem vera is esse videtur sensus obvius bullæ Clementis VIII, 1° Quia statuit licentiam non esse concedendam, nisi auditis aliorum in eisdem locis existentium conventuum prioribus seu procuratoribus, et *aliis interesse habentibus*, quod supponit esse præter conventus, seu domos religiosorum, alia instituta publica quæ detrimentum subire possent ex novorum conventuum erectione; 2° quia vult, modo generali, ad mentem legislationis Ecclesiasticæ, ut in erectione novorum conventuum, provideatur omnibus interesse habentibus. Porro, Parochiæ sunt publica instituta quæ detrimentum pati possunt ex novis erectionibus conventuum; parochi non minus interesse habent in causa hujusmodi quam priores conventuum, et Ecclesiæ non minor cura est de statu parochiarum quam de commodo conventuum regularium. Idcirco audiuntur superiores conventuum quia forte, novis erectis domibus religiosis, aliæ domus præexistentes carebunt redditibus quibus commode sustententur: nonne accidere etiam potest ut parochi non minus, imo magis graventur quam superiores conventuum? Non satis est integra permanere jura parochialia strictè sumpta, v. g. jus conferendi baptismum, benedicendi nuptias, defunctis funebria exsolvendi, si aliunde assueti redditus, ex minori concursu fidelium ad divina

¹ Reiffenstuel, in tit. XLVIII, lib. III, n° 35; — Schmalzgrueber, in tit. XXXVI, lib. III, n° 35; — Card. Petra, *Comment.* in n. Const. Paschali II, sect. 1, n° 31-41, tom. I, pag. 217; — Pignatelli, *Consult.* 179, tom. I; — Ferraris, v° *Conventus*, n° 36-41. — Pro sententia opposita Cf. *Examen historicum et canonicum*, lib. P. Mariani Verhoeven, cap. XXII.

officia, notabiliter diminuantur. Neminem certe latet præcipuos redditus parochiarum provenire ex subselliorum locatione in æde sacra, ex eleemosynis quas fideles intra divina officia largiuntur, ex piorum parochianorum liberalitate, denique ex Missarum stipendiis; si proinde, multiplicatis circumeirca oratoris publicis regularium, fideles ab assistentia officii parochialibus avocentur, notabile, imo gravissimum quandoque inde detrimentum parochiæ inferetur, adeo ut jam non valeat convenienter provideri sumptibus cultus publici, vicariorum sustentationi, pauperum sublevamini, quod, quantum in se est, parochus præcavere debet.

Igitur sive ad textum legis, sive ad illius finem, sive ad auctoritatem canonistarum attenderimus, concludendum videtur audiendos esse parochos, quoties dubium est an grave præjudicium inferre debeat parochiæ novi conventus fundatio. Rationes allatæ tanti ponderis sunt, nostro quidem iudicio, ut si sufficere non videantur Episcopo ut se strictè obligatum arbitretur ad audiendum ex officio parochum, ipsi certe sufficiant ut expetitam licentiam jure ac merito denegent, quoties istius modi præjudicium secuturum fore prudenter existimat.

Ad II^{am}: Quando superior regularium postulat licentiam erigendi monasterium, vel Ecclesiam cultui publico dicendam, Episcopus pensat simul rationum momenta ob quæ expostulatur novi conventus aut Ecclesiæ fundatio, et suæ diocesis commoda. Si non arbitretur, omnibus attente consideratis, obsecundandum petitioni regularium, potest denegare licentiam. Si verò attentione digna sibi videantur motiva allegata, et dubium sit an novus conventus aliis præjudicium afferat, citabit superiores aliorum monasteriorum, parochum loci in quo novus conventus erigendus proponitur, et alios, si qui sint interesse habentes. Regulares citati ab Episcopo debent rem propositam capitulariter inter se pertractare; superiores enim non possunt consensum præstare nomine sui ordinis, nisi forma regulis sui instituti præfixa servata sit. Si existiment sui notabi-

liter interesse ut impediatur erectio conventus, suas rationes in scriptis asserent Episcopo; idem curabunt cæteri, Parochus nempe et alii interesse habentes, quia Episcopus ipse tenetur motiva suæ sententiæ, si recusaverit licentiam postulatam, aperire regularibus et etiam, in casu appellationis, causas deferre ad S. Congregationem. Tandem cum omne negotium, auditis quæ ex utraque parte allata sunt, mature perpenderit, sententiam dicet in forma authentica, concedendo vel denegando licentiam, prout in Domino judicaverit.

Ad III^{am}: Probabilissimum nobis videtur Episcopum non teneri ad citandum superiores conventuum et Parochum, quoties sibi certè constat erectionem novi conventus nullum præjudicium notabile allaturum fore. In eo omnes quidem non consentiunt. Plures tenent sententiam oppositam, quia, juxta illos, quando Gregorius XV obligationi generali citandi omnes interesse habentes, clausulam restrictivam seu disjunctivam adjecit, *vel alias ordinariis locorum constiterit...* (n^o 450), id intelligendum voluit solummodo quoad *consensum* partium, non quoad illarum *citationem*, quatenus scilicet Episcopus deberet quidem semper citare omnes interesse habentes, sed non teneretur habere illorum consensum, si aliunde noverit consensum denegari sine sufficienti causa. Ita præsertim Pignatelli.

Communior videtur opinio quam sequimur, et gravibus momentis nititur. 1^o Clausula restrictiva pure ac simpliciter additur; ergo debemus illam ad citationem partium non secus ac ad illarum consensum apponere. 2^o Citatio et consensus non alia ratione postulantur a SS. Pontificibus, quam ut provideatur convenienti sustentationi monasteriorum; ergo si aperte Episcopo constiterit novam domum nullum præjudicium aliis afferre posse, non est cur procedere debeat ad citationem et inquisitionem, eo magis, quod hujusmodi inquisitiones haud raro varia incommoda adducant animosque commoveant. 3^o Praxis constans in nostris Ecclesiis interpretationem [datam confir-

mat; omnibus satis notum est Episcopos, in hisce provinciis, non consuevisse citare superiores conventuum existentium, quando agitur de erigenda nova domo religiosa; nec, ubi nulli Regulares ibidem existunt, locorum incolas et habitatores ut eorum consensum obtineant, quemadmodum præscriptum fuit in constitutione Gregorii XV, sed sponte concedere licentiam petitam pro novis erectionibus, quoties id opportunum judicant. Si admitteretur adversariorum opinio, nulla esset apud nos domus religiosa canonice et valide erecta; quod certe nemo admittet. — Ita Ferraris, Reiffenstuel, Leurenus, et multi alii tam veteres, quam recentiores¹.

Nota. Quando Episcopus, sponte propria, nulla facta citatione, licentiam concedit Religiosis conventum erigendi, expedit ut concessio scriptis authenticis consignetur, ut de illa et de conditionibus adjectis certius constet. Hæc autem cautio nullibi requiritur ad validitatem concessionis; cognosci potest facile ex circumstantiis datam fuisse expressam licentiam, tametsi non scriptam.

Ad IV^{um}. Omnibus quorum interest fas est appellare a sententia Episcopi ad Congregationem Episcoporum et Regularium; et si reipsa intercesserit appellatio, omnia in suspensio manent ex præscripto constitutionis Gregorii XV; regulares non debent ædificationem conventus, seu oratorii publici, incipere, nec incœptam persequi possunt, donec prolatum sit iudicium definitivum.

Supervacuum foret hæc fusius explicare, quæ nunquam in praxim adducuntur apud nos. Regulares qui alicubi conventum erigere desiderant, sua vota Episcopo loci aperiunt, causamque suam illius caritati et prudentiæ committunt. Inauditum nobis est decisionem Episcopi, quævis fuerit, occasionem unquam dedisse reclamationibus, multo minus canonicis appella-

¹ Pignatelli, *Consultationum* tom. I, *Consult.* 179, n^o 50. — Reiffenstuel in tit. de ECCLESIIS ÆDIFICANDIS, lib. III *Decret.* n^o 42. — Leurenus in eumd. tit., quæst. 997. — Ferraris, v^o *Conventus*, art. 1, n^{is} 22-23.

tionibus; omnes quippe norunt Episcopos sua pastoralis sollicitudine æqualiter fovere felicem statum parochiarum, et bonum institutorum religiosorum. Hoc unum intendunt, quid magis prosit suæ diœcesi.

452. — IV^o *Quid jure præscriptum sit ad provinciarum constitutionem, unionem, seu divisionem?*

Non est cur prælati regulares adire teneantur Episcopos locorum pro constitutione, seu divisione provinciæ; quandoquidem provinciarum definitio, si cæteroquin non erigantur novi conventus, nullatenus officit jurisdictioni Episcoporum, nullumque gravamen aliis institutis regularibus, nec incolis regionis affert. At indigent indulto apostolico. Multæ constitutiones reperiuntur in Bullario, quibus SS. Pontifices sua auctoritate sanxerunt ordinationes capitulorum generalium Franciscanorum et Prædicatorum de provinciarum unione et divisione, ut quod prælati regulares cum capitulis definierant, majori stabilitate firmaretur; quin etiam, in nonnullis harum constitutionum supponitur necessariam omnino esse auctoritatem Sanctæ Sedis ut valeant præfinitiones provinciarum. Id præ cæteris indicat Constitutio Innocentii XI *Injuncti nobis divinitus*, an 1677. Relata postulatione Cardinalis Nicolai Accioli protectoris ordinis Minorum Capuccinorum, de divisione provinciæ in duas, S. Pontifex dixit: « Cum autem ejusmodi divisiones provinciarum absque speciali nostro et hujus Sanctæ Sedis indulto fieri nequeant; nobis propterea dictus Cardinalis Nicolaus humiliter supplicavit, ut in præmissis opportune providere et indulgere de benignitate apostolica dignaremur. »

Hæc ab initio constituta pro nonnullis ordinibus mendicantibus, extensa deinde fuerunt, praxi S. Congreg. Regularium ad alias religiones. Eadem reservatio facta Sanctæ Sedi, reperitur etiam consignata in statutis quarundam Congregationum sæcularium, v. g., Redemptoristarum, Maristarum, et sensim aliis applicatur; adeo ut generatim loquendo, ipsæ congregationes

constitutæ cum votis simplicibus, non aliter quam obtento speciali indulto, suas provincias unire vel dividere consueverint¹.

453. — Ex dictis sequitur : 1° Regulares qui conventum vel oratorium publicum erigunt, non servatis formis jure præfixis, absque beneplacito apostolico et expressa licentia Episcopi, graviter peccare contra sanctiones pontificias. Præter peccati reatum, pœnas canonicas incurrunt, scilicet : privationem vocis activæ et passivæ, inhabilitatem ad officia, et insuper excommunicationem majorem ; 2° quidquid neglectis conditionibus præsumperunt, irritum esse et inane, nullumque consequenter jus exinde ipsis tribui. Episcopi possunt eos coercere censuris ecclesiasticis ut ab incœptis desistant, et domibus, seu oratoriis publicis, præter jus ædificatis, minime utantur.

Utrum hæc applicanda sint ordinibus regularibus, qui postquam injuste expulsi de loco fuerint, aut vi suppressi, iterum ad civitates de quibus discesserant redeunt, et conventus atque Ecclesiam reædificare volunt, quæstio ambigua videtur, et resolvenda ex variis circumstantiis. Generatim conventus injuste suppressus conatu hæreticorum, hostili furore, aliove simili casu, et paulo post, sedata tempestate, restitutus, recuperat locum et primæva jura ; « quoniam, ait Matthæucci, tanquam in-
« juste suppressus, nunquam fuit sua possessione privatus, licet
« per aliquod temporis caruerit exercitio. Et propterea redinte-
« gratio verissime dicitur continuatio ejusdem status primævi. »
(*Officialis curiæ ecclesiasticæ*, cap. ult., n° 9.) Non indiget proinde iterum recursum ad Sanctam Sedem, et ad Ordinarium loci, ad obtinendum licentiam conventum erigendi.

Si tantum temporis elapsum sit, ut juxta moralem hominum existimationem, conventus censeatur penitus cessasse, ac novam inchoari foundationem, superiores regulares ordinis qui olim conventum, domum, Ecclesiam, tenebat in civitate, non possunt similia loca ibidem erigere sub obtentu præteritæ concessionis,

¹ Cf. *Analecta juris pontificii*, an. 1860, col. 2595-2595.

sed novam licentiam obtineant necesse est. Ordines regulares, v. g., qui in Galliis monasteria et conventus habebant ante perturbationem Gallicanæ reipublicæ, et ex ea ætate suppressi sunt calamitate temporum, jus prætendere hodie non possunt ad suorum præteritorum conventuum reædificationem, nisi intercesserit beneplacitum S. Pontificis, cum licentia Episcopi, ex præscripto juris communis.

Lex quidem civilis nequaquam potuit jure suppressere conventus, de quo certe dubium non est apud catholicos; nec eosdem suppressit concordatum, quum de illis mentio facta non sit; verumtamen, præter quod jura præterita horum Ordinum cessasse penitus communiter existimantur tam diuturna interruptione, adeo dissimilis est status præsens Ecclesiarum Galliæ a statu sæculorum præteritorum, ut quicumque vir prudens, qui non thesibus mere speculativis inhæret, sed rationem practicam rerum habet, fateatur recurrendum fore ad Sanctam Sedem, et ad Episcopos locorum, ut S. Pontificis auctoritate, atque prudentia Antistitum qui Ecclesiis præsent, determinetur quatenus expediat novas domos religiosas loco veterum instaurare.

Idem dicendum si regulares velint reassumere conventum quem sponte reliquerant. Ita declaratum refert Monacelli; qui insuper notat, in reassumptione conventus derelicti et ex gratia restituti, non reviviscere jura præcedentia quibus regulares hujus conventus antea potiebantur, nisi restitutio concedatur plenarie quoad omnia (*Formularium legale*, part. I, tit. VI, formula XIX, n° 15, 14).

ARTICULUS IV. — DE ADMISSIONE FIDELIUM IN STATU RELIGIOSO.

Tres sunt præsertim quæstiones solvendæ relative ad admissionem fidelium in statu religioso : 1^a Quinam admitti de-